

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Kortholt Fridericus Elers

**Disputationum Theologicarum De Canone Scripturae Sacrae, Roberto Card.  
Bellarmino, huiusq[ue] Defensori, Jacobo Gretsero, & Vindicatori nupero, Vito  
Erbermanno, lesuitis, oppositarum, I,**

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740039849>

Druck Freier  Zugang



R 4 Thol 1664.  
Christian Kortholl  
Vert.: Friedrich Elers



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740039849/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740039849/phys_0002)

DFG

13.

DISPUTATIONUM THEO-  
LOGICARUM  
*De*  
**CANONE  
SCRIPTURÆ  
SACRÆ,**

ROBERTO Card. BELLARMINO, hu-  
jusq; Defensori, JACOBO GRETZERO, & Vin-  
dicatori nupero, VITO ERBERMANNO,  
Jesuitis, oppositarum,

I,

*Quam,*

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,  
Consentiente Amplissimo Collegio  
Theologico,

P R A E S I D E

**CHRISTIANO KORTHOLT,**

S. Theol. D. & P.P.

ad diem XXVI. Martii,

In Auditorio magno,

publice discutiendam proponit

**FRIDERICUS ELERS, Sclesv. Holsatus.**

*Alex: Berndt*

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr. 1664.

*1664*





De  
**CANONE SCRIPTU-  
RÆ SACRÆ.**

**PRÆFATIO.**

**S**cripturam sacram primum Theologia principium esse, adeo certum est, sicut ipsi id Pontificii, si vel in manifesto circumagi velint circulo, vel fide tantum humana Christianæ religionis apitibus assentiri, diffiteri nequeant. Quanquam enim communiter Scripturæ autoritatem in ordine ad nostram cognitionem illi suspendant ab autoritate Ecclesiae, tamen hanc ipsam autoritatem Ecclesiae ex Scriptura probare ac demonstare satagunt. Nisi ergo in hoc Scriptura testimonio & autoritate ultimo acquiescant, sed hinc vicissim ad autoritatem ac testimonium Ecclesiae relabantur, circulum sane vitare non possunt. Quod quidem ita est evidens, ut ipse Jesuita Jacobus Gretserus id fateri fuerit coactus. Sic enim diserte scribit in tractatu: unde scis? cap. IV: Rogatur Catholicus (Pontifex) unde noverit, Ecclesiam Spiritu sancto infallibiliter regi; non tantum respondebit, se id nosse ex

A

Scriptura

Scriptura; sed ex verbo D E I sive scripto sive non scripto: utrumq; enim verbum testatur, Ecclesiam Spiritu sancto regi; & in omnem veritatem, absq; erroris periculo, duci. Quia verò Ecclesia non tantum scripto sed & non scripto D E I verbo testimonium perhibet, atq; adeò infallibilitas verbi non scripti & què nobis innotescit per infallibilem Ecclesiæ testificatiōnem, atq; infallibilitas verbi scripti; dicere quis posset, non cessare circulum, licet respondeatur, infallibilem Ecclesiæ auctoritatē compertam & exploratam nobis esse ex verbo D E I tam scripto quam tradito; quia in promptu est quærere; unde tibi infallibilitas verbi D E I tam scripti quam non scripti constat? respondebitur utiq;: ex Ecclesiæ testimonio. & unde tibi hujus testimonii infallibilitas patescit? utique ex verbo D E I seu scripto seu non scripto. Quocirca idem adhuc manebit circulus. *Ubi nihil obstat, quod Gretserus verbo D E I scripto jungit verbum non-scriptum: notum quippe est, etiam hujus verbi non-scripti autoritatē non minus quam auctoritatē Ecclesia ex verbo scripto sive Scriptura sacra, (v. c. n Thess. II, 15. 1. Cor. XI, 23.) a Pontificiis probationem queri; sive, hoc principium: Quicquid verbum non-scriptum testatur, id infallibiliter verum est; atque atque illud: Quicquid Ecclesia testatur, id infallibiliter verum est; demonstrari ab iis per istud: Quicquid Scriptura sacra dicit, id infallibiliter verum est; tanquam per prius. Ut proinde nihilominus maneat, ni Scripturam sacram pro primo Theologiae principio agnoscere velint Pontifici, sed ejus auctoritatē viciissim ex Ecclesiæ testimonio firmare, non posse ipsum declinare circulum. Atque id audivimus jamjam profitementem ipsum Gretserum. Qui tamen satis sua se cause beic*

3

heic consuluisse putat, si diceret, non omnem circulum  
esse vitiosum & improbandum, cum apud Aristotelem  
& alios Philosophos admittatur circulus seu regressus  
syllogisticus & demonstrativus. Adeo scilicet sui oblitus  
est hic homo, ut, quam in Defensione Bellarmini libr. i de Ver-  
bo DEI cap. iv vocaverat in orbem relabentem deliratio-  
nem, eam heic veluti legitimam tueri nitatur probandi ratio-  
nem. Sed quam frustra id faciat, & quam inepte circularem  
illam suam demonstrationem comparet cum regressu apodicti-  
co, fusè & ex professo in peculiari de Circulo Papistico dis-  
sertatione jam olim demonstravimus. Interim Gretserus,  
dum id agit ut circuli crimen excusat & elevet, in alterum illud  
prolabitur incommodum, ut scilicet admittere cogatur, se-  
nsusq; humana tantum fide Christianæ doctrinae capitibus af-  
fentiri. Scilicet ita mox pergit, loco paulo ante citato: Tunc  
repudiari debet circulus, quando ab eodem prorsus ad  
idem, nulla interim utriusq; variatione, quoad noti-  
tiæ rationem, interveniente, fit regressus. --- Quod  
tum demum accidit, quando consequens, ex an-  
tecedente illatum, nulla alia præterquam antece-  
dentis notitia fultum & probatum, mox iterum ad  
sui antecedentis probationem assumitur. Sic enim  
plane idem, ejusdem respectu, foret prius & poste-  
rius, aut certe notius & ignorius: sic idem ex seipso  
probaretur; ut optime Aristoteles contra veterum  
quorundam errorem argumentatur. Secus est,  
quando consequens alio quodam diverso medio  
innotescit, atq; sic demum ad sui antecedentis  
probationem assumitur. Hoc vero in proposito ac-  
cidere ita manifestum fit. Quando enim ex infallibili  
ecclesiæ propositione persuadetur alicui fides, sive to-

tius Scripturæ divinæ, sive certæ tantum alicujus partis, de qua dubitat, jam certe illa ecclesiæ propositio, qua talis, infallibilis non creditur (etiam loquendo de motivis credendi) ex ipsius Scripturæ, quæ svadenda est, infallibili auctoritate; sed vel ex communibus ecclesiæ motivis, in priori casu, vel ex alterius cuiuspiam libri canonici jam antea explorata auctoritate, in posteriore. E converso, quando ex aliquo Scripturæ loco, verbi gratia Matth. 16. 1. Tim. 3. svadetur infallibilis ecclesiæ in proponendo auctoritas, jam pro argumento fidem svadente non adhibetur Scriptura, prout præcile ex ecclesiæ infallibili auctoritate & propositione dicitur; sed ut vel ex aliis Scripturæ locis, vel ex communibus motivis fidei, quibus, ut diximus, ipsa ecclesiæ auctoritas quidem, sed non ut infallibilis, & infallibili fide credita, continetur, rectissime creditur. *Hæc Gretserus.* Quæ quidem non video quomodo cum iis, quæ supra ex eodem proferebamus, cohæreant; ubi sane absolute, Ecclesiam Spiritu sancto infallibiliter regi, probari dicebat ex verbo D E I, & vicissim infallibilitatem verbiper Ecclesia testimonium, nulla facta mentione talis quoad notitiae rationem, intervenientis variationis. Utcumq[ue] interim sit, si posteriori illo modo probandi ac demonstrandi processus instituatur, nunquam de dogmatibus Christianis haberi poterit assensus, qui sit fidei divinæ, assensus, inquam, omnem metum & suspicitionem deceptionis excludens, in tantum, ut assentiens quodvis supplicium subire, & centies mori malit, quam vel minimam de semel agnita veritate dubitationem admittere. Id sic ostendo: Dicit Gretserus, quando per autoritatem ecclesiæ svadetur auctoritas Scripturæ, Ecclesia infallibilitatem non credi ex ipsius Scripturæ, quæ probanda est, infallibili auctoritate; sed ex com-

3

ex communibus ecclesiæ motivis: vel, quod idem est, quando ex hac propositione: Quidquid ecclesia docet, verum est, tanquam ex principio complexo, deducitur altera illa: Quidquid Scriptura docet, verum est; priorem illam propositionem non probari viceversa per posteriorem; sed fidem ipsi conciliari per communia motiva, qualia, v. c. sunt, constantia martyrum, miracula, ejusque commatis alia. Jam vero ipse Gretserus, cumque eo ceteri Jesuitæ, fatentur, ex illis motivis, utpote argumentis solummodo probabilibus, non generari assensum immotum & divinum; sed opinionem tantum & fidem humanam. Oportet proinde assertionem istibanc: Quidquid ecclesia docet, verum est; in quantum ejus veritas per communia motiva innotescit, non nisi probabilem esse, seu ita esse certam in ordine ad nostram cognitionem, ut non excludat omnem formidinem falsi. Quia cum ita sint, oppido patet, propositionem, quam diximus, ita comparatam non esse, ut ex ea dogmata creditu necessaria sic deduci possint, quo iis assensu immoto & fide Christiana atque divina adhucemus. Quia enim conclusio, etiam ratione materiae, partem imitatur debiliorem, ita ut, si in alterutra premissarum certitudinis defectus sit, is quoque in conclusione redundet: ut, inquam, si, una premissarum existente certa & immota, altera probabilis tantum & dubia sit, etiam conclusio sequatur tantummodo probabilis & dubia, hinc, si in isto syllogismo Theologico: Quidquid Ecclesia docet, verum est: at qui hoc vel illud Ecclesia docet: Ergo id verum est; si, inquam, in hoc syllogismo Major propositio non est immota veritatis, sed tantum probabilis, etiam conclusio inde emergens alio assensu digna non est quam opinio- nis & fidei humanae; quidquid etiam sit de Minor. Quod si itaque de veritate sapius ante dictæ propositionis certo con-

stare debet, necesse est, ut aliunde, quam ex communibus  
 motivis, robur ei queratur. Unde vero illud desumendum?  
 num ab autoritate Scripture sacra, infallibile testimonium  
 eccl<sup>ie</sup> perhibentis, v. c. Matth. xvi? atqui & ipsius Scripture  
 autoritatem, prout per eam eccl<sup>ie</sup> autoritas probatur, ex  
 communibus motivis credi Gretserus afferit: unde assen-  
 sus, qui Scriptura præbetur, non majoris erit ponderis, quam  
 qui eccl<sup>ie</sup>. Clarius: Huic propositioni: Quidquid eccl<sup>ie</sup>  
 docet, verum est; juxta Gretseri hypotheses non potest in-  
 dubitata & Christiana fide credi, si vel maxime demonstretur  
 per hoc principium: Quidquid Scriptura dicit, verum  
 est: idque ideo, quia & hac posterior propositio, quando adpro-  
 bandum illam priorem assumitur, per communia motiva  
 credibilis redditur, dicente Gretsero, adeoque non nisi af-  
 sensum, qui opinionis & fidei humanae, meretur: Unde  
 sequitur, quidquid ex ea deducitur, probabile tantum esse,  
 nec alio assensu, quam qui opinione constat, dignum, cum  
 conclusio nunquam sit necessario vera, quando vel utraque,  
 vel altera præmissarum, dubia est & non satis certa. Sed hac  
 operosius persequi nostri nunc non est instituti. Puto autem,  
 vel ex his ipsis, que modo monuimus, luce clarius esse, quisquis  
 vitare velit incommoda, de quibus diximus, & absurdia, opor-  
 tere eum, velit nolit, fateri, principium, ad quod sifat ultima  
 resolutio totius discursus Theologici, non esse aliud præter hoc  
 ipsum: Quidquid Scriptura sacra docet, id infallibili-  
 ter verum est. Quæ cum ita sint, ut illud principium recte  
 intelligatur, ceteris de capitibus fidei controversiis merito præ-  
 mittitur disputatio de Scriptura sacra. Et quamvis alias in-  
 sis, quæ de primo Theologiae principio docent, Bellarminum,  
 Ἐμόψηφον non habeant Protestantes, hactenus tamen recte is  
 facit, quod, de controversiis fidei disputaturus, non, ut Eckius,  
 Staple-

7

Stapletonus, aliq; ejus secta homines, a capite de Ecclesia, sed  
de Verbo DEI, disputationes suas orditurn. Cujus sui consilii  
rationem ipse met exponit in prefatione, quam toti operi pre-  
misit. Utinam vero aque in re ipsa, in iis, inquam, que de  
Scripturarum sacrarum canone, editionibus, interpretatione,  
insufficientia, contra manifestam veritatem iidem illi docent,  
divortium ab ipsis faceret! Sed heic majorem Concilii Tri-  
dentini, quam veritatis & conscientiae rationem & ipsum &  
ejus hyperaspistas habuisse, evidenter, iudicante Domino, post-  
bac sumus ostensuri.

### CAP. I.

Vindicatur Lutherus ab accusatione, quasi Svenfeldianismum Ponti-  
ficii tribuat.

I.

**O**rditur opus suum Card. Bellarminus a mani- Calumnia  
festa falsitate. Nimirum, ubi dixisset, Svenck- in Luthe-  
feldium & Libertinos sacram Scripturam pro rum a.  
verbo DEI non habere, sed tanquam literam,  
mortuam respuere, soloq; spiritu interno contentos  
nos esse jubere: Martinus Lutherus, pergit, & Johannes Calvinus, & quotquot sectatores & discipuli eorum sunt,  
buncipsum Svenckfeldii & Libertinorum errorem Romano  
Pontifici totiq; Catholica Ecclesia impudentissimo mendacio ad-  
scribere non verentur. Quod ut de Luthero ostendat,  
affert locum ex libro ejus de Conciliis, & præterea ad  
librum contra Regem Angliae, item de falso statu cle-  
ri, provocat.

II. Quantum ad primum locum, verba Lutheri, Primus Lu-  
theri locus  
ad quæ provocat Bellarminus, Tom. vii Jen. Germ. expenditur.  
f. 274.

f. 274, b. Tomi vii Witt. f. 510, b. in fonte ita habent:  
 Der Papst hat hie von ( de externis ritibus & humanis  
 constitutionibus loquitur ) die Welt vol Bücher gelickt/  
 und eitel Strick / Gesetz / Recht / Artikel des Glaubens/  
 Sünde und Heiligkeit draus angericht / das wol werd wete  
 noch einst sein Decret mit Feuer zu verbrennen / denn man  
 solchs Buchs wol geraten künd / welchs gros schaden gethan  
 hat. Es hat die heilige Schrifft unter die Bank gestossen/  
 und die Christliche Lehre fast unterdrückt. Quæ sane , ut  
 quivis Germanicæ linguae gnarus videt , nihil aliud vo-  
 lunt, quam , Decreto Papali & mole illa commentario-  
 rum de ceremoniis rebusq; ad salutem haud necessa-  
 riis id effectum esse , ut a lectione Scripturæ sacræ ho-  
 mines paulatim abducti sint , ejusq; studium susq; deq;  
 tandem habuerint. Num vero hoc est Svensfeldii &  
 Libertinorum errorem ( quod Scriptura Prophetica  
 & Apostolica non sit ut verbum Dei recipienda , sed id  
 solum pro verbo Dei habendum , quod Spiritus san-  
 ctus privatim unicuiq; in corde loquitur ) Romano  
 Pontifici totiq; Catholicæ ecclesiæ adscribere ? Aliud  
 sane est , sacras literas negligere , necea qua par est se-  
 dilitate scrutari , aliud , negare verbum Dei iis con-  
 tineri.

Gretseri  
exceptio.  
col. 22.

III. Atqui , excipit in sua Controversiarum Bel-  
 larmini defensione Jacobus Gretserus , nec Bellarminus  
 dicit , hos barefarchas ( Lutherum & Calvinum ) Ortho-  
 doxis errorem hunc adæquatè attribuere : sed hoc dicunt : Ca-  
 tholicos scripturam vilipendere & floccifacere , & sub  
 scamnum abdidisse , contentos traditionibus & sanctio-  
 nibus Ecclesiasticis. An contemnere Biblia , pati q; , ut pul-  
 vere & situ obducantur , & ex usu & lectione hominum eripi-  
 antur ,

antur, non est pars erroris vel potius deliramenti Swenckfeldiani? annon bunc errorem Lutherus Catholicis affingit?

iv. Resp. Bellarminus expresse Lutherum insimulat, quod HUNCIPSUM, quem Suencfeldius & Libertini errant, errorem Romano Pontifici totiq; Catholicae ecclesiæ impudentissimo mendacio adscribere non vereatur. Quisnam, obsecro, ille error? annon, Scripturam non esse verbum DEI, sed tanquam literam occidentem respuendam, soloq; spiritu interno contentos nos esse debere? Frivola ergo est illa Gretseri exceptio. Et dic, sodes, qui adeo perfrictæ frontis fuerit Bellarminus, ut propterea Lutherum impudentissimi mendacii postularet, quod scriperit, Pontificios, tempore cum primis reformationem proxime antegresso, Scripturam vilipendisse, floccifecisse, sub scannum abdidisse? annon enim cum Luthero hoc fassi sunt ipsi Romanæ ecclesiæ Cardinales, Archiepiscopi, aliiq; magni nominis Pontificii? Sane Franciscus Ximenius, Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Archicancellarius, in præfatione ad Leonem x, Bibliis Complutensibua præmissa, labores suos eo tendere scribit, ut incipient divinarum literarum studia, hactenus INTERMORTUA, nunc tandem revidisce-re. Benedictus Arias Montanus, e Patribus Tridentinis unus, præfatione in Biblia Regia, quorum editioni nomine Philippi ii, Regis Hispaniarum, præfuit, conqueritur, ejus, quæ tum proxime effluxerat, ætatis vi-tio, divinarum scripturarum studia inter Christianos nimium remissa, imo SEPULTA pene fuisse. Stanislaus Hosius, Cardinalis, Episcopus Varmiensis, qui Tridentinæ Synodo, una cum aliis Cardinalibus, usq; ad finem ejus, Le-

Ipsorum  
Pontificio-  
rum con-  
fessio de  
neglectu  
contemptu  
Scripturæ  
in Papau.

App. sacr. gatus præfuit, vir, si Possevino ereditus, summa integritatis, sinceritatis, & vere doctus, imo, si ipsi Bellarmine, vir aeterna memoria dignus, Epistola xcv: Multos, inquit, cernere licuit proximis superioribus annis, qui præter Thomam aut Scotum vix quemquam alium auctorem legerent: quodq[ue] magis dolendum est, ne sacra quidem Biblia, quæ diligenter evoluerent, digna judicarunt. Cornelius Mussus,  
 App. tom. i. Episcopus Bitontinus, vir, qui, Possevino teste, incomparabili pene ingenii felicitate, ut continentia & pietate, præditus fuit, in caput vi Epistolæ ad Romanos: Divine, ait, Scripturæ olim, prob dolor! quanto omnium damno NEGЛИGEBANTUR! Vigebat spinosa & molesta nescio que Theologia, de instantibus, de relationibus, de quidditatibus, de formalitatibus. ---- POST HABEBANTUR Evangelia, Epistole: Christiana Philosophia DELITESCEBAT; a paucissimis tractabatur, sed frigide: non enim dicam insincere. Sic etiam, Scripturam sacram cum summo Christianismi totius detimento nimium DELITUISSE, agnoscit & fatetur Renatus Benedictus, Andegavensis, Theologus Parisiensis, in dedicatione suorum Stromatum, quæ anno clc 15 edidit. Entibi testes, quos profecto animus Romanæ ecclesiæ addictissimus non pateretur, quod ejus existimationi detrahere queat, proferre, nisi irrefragabilis veritas exprimeret.

Reliqua Lutheriloca considerantur.  
 v. Sed quid de reliquis Lutheri libris, ad quos provocat Bellarminus? num in iis forte occurrit, cui suam accusationem superstruat Cardinalis? Minime vero: uti ipsa opusculorumistorum inspectio quemvis docebit. Quin potius in libro de statu clericorum contrarium manifeste reperitur. Sic enim ibi Lutherus, Tom. ii Jen. f. 132, a. Tom. vii Witt. f. 314, a. Ich acht das

11

das der Bapst selb mit allen Teuffeln / wiewol er alle Gottes  
Wort unterdrückt / dennoch nicht leugnen möge oder thar/  
das S. Paulus Wort Gottes Wort / und sein Ordnung  
des heiligen Geistes Ordnung sey. Denn er leugnet nicht  
Gottes Wort / sondern thut nur alles / was dawider ist/  
unter Gottes Wort schein und deckel ; hoc est : *Existimo,  
ipsum Papam cum omnibus diabolis, quamvis verbum Dei sup-  
primat, negare tamen nec posse nec audere, S. Pauli verbum  
DEI verbum, ejusq; constitutiones Spiritus sancti constitutio-  
nes esse. Etenim NON NEGAT VERBUM DEI, sed tantum  
omnia, que verbo DEI adversantur, sub ejusdem praetextu  
agit. Quid clarius pro averruncandis Bellarmini ca-  
villis proferri posset?*

vi. Quam candide cum Luthero ipso , tam cor- Protestan-  
date cum ejus quoq; asseclis agit Bellarminus. tes falso a  
QUOT, inquit, sectatores & discipuli Lutheri sunt, Swenc- Bellarmi-  
feldii & Libertinorum errorem Romano Pontifici totig; Catho- no accu-  
licæ Ecclesiæ impudentissimo mendacio adscribere non veren- santur.  
tur. Quanta hominis audacia! Producantur, sodes,  
illorum sectatorum & discipulorum Lutheri vel aliqui,  
quia ut Romano Pontifici , aut toti Papisticæ ecclesiæ  
(hanc enim augusto Ecclesiæ Catholicæ titulo autor in-  
digitat) saepius dictum Swencfeldii ac Libertinorum er-  
rorem tribuat. Quamquam profecto id negari possit  
minime , esse inter Doctores Pontificios autores magni  
nominis, qui ita de Scriptura sacra loquantur , ut verba  
eorum vix aliud tinniant, quam a Swencfeldiana hære-  
si non omnino ipsos fuisse alienos. Considera quælo,  
illa Melchioris Cani, Episcopi Canariensis, ( qui Con- PARADONA  
cilio Tridentino interfuit,) ex ipsius libro iii de Locis Pontificie-  
rum 66

Scriptura asserta. Theologicis, cap. III, fundam. IV: *Ubi vero gentium est verbum, quod tantopere Lutherani jactare solent? nam scriptum verbum, si vere ac proprie loqui volumus, non est verbum. Apud nos autem, qui Christi & Apostolorum oracula vocesq; tuemur, verbum Domini vere & proprie manet in æternum: verbum, inquam, vivum, quod ex Doctorum ore in discipulorum transfusum aures fortius resonet.* Illa, inquam, Cani considera, & cogita, num durior assertio ab ipso Svensfeldio vel Libertinis proficiisci potuerit quam hæc ipsa, scriptum verbum, seu Scripturam sacram, non esse, vere & proprie loquendo, verbum Domini quod manet in æternum? Porro, annon Franciscus Costerus, qui Philippo Alegambe heretico-  
 Bibl. scripts. rum malleus audit, & in præcipuis Jesuiticæ Societatis Soc. Jes. scriptoribus eidem videtur numerandus, in Enchiridio controversiarum cap. I Scripturam sacram conceptis verbis vocat literam mortuam, aitq; *Christum nec ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluisse?* annon item Bartoldus Nihusius, titularis postmodum Mysia Episcopus, sacram Scripturam appellat mortuam & suspectam literam in libro, conditam ab hominibus partim aperte, partim etiam oculite, p. m. 20. 21. forsitan facinorosis; apud Calixtum, Digressione de arte nova? annon deniq; Gulielmus Lindanus, Episcopus App. tom. I. Ruræmundensis, ille, si Possevino credimus, heresum expugnator, libro I Panopliæ cap. XXII eandem Scripturam dogma esse dicit in mortuas, imo occidentes adeo literas relatum? annon idem, eodem loco, cap. XXIII, verbi DE I Evangelici naturam a scripto abhorrere affirmat? Mitimus alia.

CAPUT

## CAPUT II.

Argumenta, quibus Bellarminus probat, Scripturæ sacrae libri verbum  
Dei contineri, expenduntur.

I.

**S**cripturas sacras certissimas atq; verissimas esse, nec  
humana inventa, sed oracula divina continere, a comple-  
mento vaticiniorum, harmonia scriptorum Ieronimov,  
cœlesti in eos animadversione qui sacras literas profanare voluerint, ab ipsius Scripturæ assertione, a mira-  
culis deniq; ad dogmata Scripturarum comprobanda  
editis, probat Bellarminus.

II. Ut autem appareat, quantum roboris istis argumentis subsit, sciendum est, ea, unde de veritate & certitudine Scripturæ homini constat, esse in duplice differentia: nonnulla enim assensum gignunt qui *opinionis* tantummodo est vel *fidei humanae*, hoc est, inducunt quidem & inclinant animum ad assentendum Scripturis, tanquam quæ divina oracula contineant, sed ita, ut non tollant formidinem oppositi, sive, ut non excludant omnem metum ac suspicionem falsi: quædam autem assensum gignunt qui est *fidei divine*, assentientem ab omni suspicione deceptionis liberans, & usq; adeo certum reddens, ut nihil in toto universo & que ratum esse credat, imo centies mori malit, quam vel minimam de sacrarum literarum veritate & certitudine dubitationem admittere.

III. Prioris generis sunt illa, quæ desumuntur a communibus, ut vocant, *motivis*, seu *signis credibilitatis* externis; (in quibus recensendis præ cæteris operosus est Gregorius de Valentia, in Analysis fidei lib. I, cap. xv, & Tom. III in Thomam, disp. I, quæst. I, puncto IV)

B 3

ex his

ex his enim, utpote argumentis modo probabilibus, non generari assensum immotum ac divinum, sed fidem tantum humanam, ipsimet Pontificii ultiro tentur. In iis Bellarminus lib. vi de Gratia & lib. arbitr. cap. i: Nulla, inquit, est persuasio, qua cogere possit hominem ad credendos articulos supernaturales; ac ne ipsa quidem miracula omnino mentem convincere queunt. Et capite III: Argumenta, que articulos fidei nostra credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omnino indubitatam reddant, nisi mens divinitus adjudetur.

Fundamen-  
tum fidei  
veræ Chri-  
stianæ &  
assensus  
immoti.

IV. Hoc vero divinum adjutorium est illud ipsum motivum, quo intellectus ad certum & immotum assensum determinatur, fidesq; divina in animo nostro acceditur. Nimirum Deus cum suo verbo agit & per suum verbum non tantum concursu generali ad modum causæ primæ, sed etiam speciali gratia & naturam superante virtute, quæ animos audientium vellegentium inenarrabili quadam vis subit, perceperit, afficit, si bi devincit, certosq; eos reddit, hujusmodi doctrinam seu scripturam esse divinam, atq; ab alio primo autore non profectam quam ab ipso Deo. Quæ quidem vis ac virtus divina cum verbo individuo nexu & arcte adeo cohæret, ut ab eo nunquam absit, imo sine eo nunquam (siquidem de hodierno ordinario divinæ illuminationis modo loquamur) adsit. Ut ita assensus, quo DEUM in Scripturis loqui, easq; Dei quasi vocem esse credimus, simul dependeat a Deo, tanquam a causa principali, intrinsecus operante, deq; Scripturæ sacræ veritate in animis hominum testimonium perhibente, & a Scriptura ipsa, tanquam a causa instrumentalí, supernaturali Dei concursu ultra verborum, quibus constat,

Constat, nativam vim & indolem, ad movendos hominum animos, sibiq; ipsi fidem faciendum, elevata. Vide 1 Thess. 11, 13. Matth. VII, 28, 29. Rom. I, 16. I Cor. I, 18, 23, 24. Cap. II, 4, 5. Hinc optime Origenes lib. IV τοῦ ἀρχῶν cap. I: *Si quis, inquit, cum omni studio & reverentia, qua dignum est, Prophetica dicta consideret, in eo ipso dum legit & diligentius intuetur, certum est quod aliquo diviniore spiramine mentem sensumq; pulsatus agnoscat, non humanitus esse prolatos eos, quos legit, sed Dei esse sermones; & ex semetipso sentiet, non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino (ut ita dixerim) cothurno libros esse conscriptos.* Scilicet Scriptura sacra, animo discendi aut cognoscendi lecta vel audita, proprias vires demonstrat, ceu loquitur Chrysostomus homil. in Natalem Domini; & a semetipsa sortitur vim facienda fidei, ut inquit Nemesius, lib. de natura hominis cap. II; vel, ut Gregorius Nyssenus, Orat. de Gregorio Thaumaturgo, hoc ipso, quod supra fidem est, vim fidei facienda habet. Atq; hoc est quod ait Salvianus, Massiliensem Episcopus, lib. III de providentia: *Alia omnia, id est, humana dicta, argumentis ac testibus egent; Dei autem sermo sibi ipsi restis est.* Huc item respicit Clemens Alexandrinus lib. VII Stromatum, quando Scripturam vocat ἀρχὴν ἀναδεικνύει.

v. Atq; ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile nunc apparet, quo loco habenda argumenta illa, quibus veritatem & certitudinem Scripturarum probare, five (ut sub capitulis IV initium loquitur) demonstrare conatur Bellarminus. Videlicet motiva sunt, quæ, Arguments  
Bellarmini  
non gene-  
rant assen-  
sum indu-  
bitatum: quod sacræ literæ a Deo sint profectæ, nec humana inventa, sed divina oracula contineant, credibile quidem reddunt, assensum tamen immotum, & cui falsum subesse nequeat, minime gignunt.

vi. Di-

*Objec<sup>tio</sup>.*

vi. Dicis: Bellarminus quartum suum pro sacrarum literarum veritate & certitudine argumentum petit ex ipsius Scripturæ testimonio; quod utiq; animum plene convincere ac fidem divinam generare paulo ante dicebatur.

*Responso.*

vii. Resp. Quando dicitur, quod *Scriptura*, sacra immota veritatis & certitudinis sit, constare ex ipsius *Scripturæ* testimonio, duplicit et id intelligi potest: 1. ut sermo sit de ipsis *Scripturæ* dictis, quibus, quod sacrae literæ a Deo profectæ sint, asseritur, præcisa singulari illa, quæ individuo nexu cum *Scriptura* cohæret, efficacia; 2. ut sermo sit de testimonio interno, quod consistit in supernaturali illa ac divinitus *Scripturæ* indita virtute percellendi, movendi, convincendi mentem humanam. Nos, quando *Scripturam*, sibi ipsi testem esse dicimus, de divina illius efficacia & *evangelio* loquimur, qua, tanquam interno testimonio, intellectus ad certum & immotum assensum determinatur: Bellarminus autem loquitur de dictis *Scripturæ* (qualia, v. c. sunt: *Deus locutus est per os sanctorum Prophetarum*, *Luc. I, 70. Spiritu sancto inspirati loqui sunt sancti Dei homines*, *II Petr. I, 21. Omnis Scriptura divinitus inspirata*, *II Tim. III, 16.*) & quidem, quatenus his dictis, sive huic *Scripturæ* de sua ipsius divinitate, testanti, ideo credimus, quod de aliis, v. c. de futuris, vera dixisse deprehensa est. *Testis*, inquit, *est ipsa Scriptura*, (se a Deo esse profectam;) cuius si vera fuerunt *predictiones rerum futurarum*, ut eventus postea comprobavit, cur *vera non sint rerum presentium testimonia?* Ex quibus sane apparent, assensum, qui ex testimonio *Scripturæ*, eo modo quo Bellarminus vult, generatur, non opinio-

nis

nis & fidei humanae, cum in motivum commune & extrinsecum ultimo resolvatur. Nam si queras, unde constet, sacram Scripturam a DEO esse profectam, adeoq; veritatis & certitudinis immotae; respondetur, quia ipsa Scriptura id testetur. Si queras ulterius, unde autem constet, hoc Scripturæ testimonium, quod de seipsa perhibet, esse verum; respondetur, quia de aliis rebus Scriptura, quæ vera sunt, elocuta sit. Ubi accurate notari velim, quod dixi, assensum, qui ex testimonio Scripturæ, *EO MODO QUO BELLARMINUS VULT*, generatur, non esse nisi opinionis & fidei humanae. Neq; enim adeo sive impius sum, sive ineptus, ut absolute affirmem, testimonium, quod de seipsa Scriptura perhibet, opinionem solummodo gignere ac fidem humanam. Nam quid hoc esset aliud, quam ipsum Christianæ fidei fundamentum penitus evertere? Sane quemadmodum primo Theologiae principio: *Quidquid Scriptura dicit, id infallibiliter verum est*; divina fide assentitur homo Christianus: ita eundem omnino assensum habet omnibus & singulis, quæ ex primo isto principio deducuntur, conclusionibus, *quatenus nimirum inde deducuntur*: atq; sic divina fide credit, DEum locutum esse per os sanctorum Prophetarum; divina fide credit, Spiritu sancto inspiratos locutos esse sanctos DEI homines; divina fide credit, totam Scripturam esse divinitus inspiratam. Sed hoc est quod volo: si ideo tantum credas, Scripturam verum dicere, dum asserit, v. c. DEUM locutum esse per os sanctorum Prophetarum, quia eadem Scriptura verum dixit, quando de rebus futuris aliquid prænunciavit, (quam sanerationem hoc loco urget Bellarminus) ut;

tiq; assensus ille tuus non nisi humanus esse potest. Ecce enim, sit argumentum:

Quæcunq; Scriptura verum dixit, quando de futuri aliquid prædixit, illa verum quoq; dicit, dum sibi ipsi *Ieronimus* testimonium perhibet;

Atqui Scriptura sacra verum dixit, quando de futuri aliquid prædixit;

Ergo Scriptura sacra verum quoq; dicit, dum sibi ipsi *Ieronimus* testimonium perhibet. Et proinde verum est, quod DEUS locutus sit per os sanctorum Prophetarum: verum est, quod acti a Spiritu sancto locuti sint sancti DEI homines; ac ita porro.

Majorem hujus argumenti talem esse, ut assensum immotum mereatur fidemq; divinam, haud dices, opinor. Num ergo hujusmodi merebitur assensum, quæ inde elicetur, conclusio, & quæ hinc dependent? Minime vero. Repetesis, quæ supra in præfatione in hanc rem differuimus. Et hucusque de argumentis, quibus pro sacrarum literarum veritate ac certitudine militat Bellarminus.

*Pontificii protestantibus* sol. 25. *IIX. Porro in hoc capite disputat Cardinalis contra privatam Spiritus revelationem, quam jactant Anabaptistæ, sedita, ut nostram quoq; de interno illo testiuntur spiritum monio, quo animum hominis plene convinci, fidemq; fanaticum divinam ipsi ingenerari dicimus sententiam a se tangi minime obscurum faciat indicium.* Sane Gretserus absq; ambagibus: *Spiritus ille vester, ait, quem vos protestantes jactatis, nihil differt à spiritu Libertino aut Swenckfeldiano, nisi quod ille se, ut turpitudinem suam velet, scripturæ testimoniis, quasi vestimentis, tegit: iste autem scripturam*

pturam, ut aperte, ita prorsus invercundè rejicit. Cetera  
pares sunt ac gemelli. Et infra: Certè omnia, qvæ toto hoc  
capite Bellarminus optimè differit, Calvinianum qvog, & Lu-  
theranum Spiritum confodiunt; licet ipsi jactent esse Spiritum  
sanctum. At insolens gloriatio non efficit ex Spiritu malo &  
Diabolico Spiritum sanctum; alioquin etiam Libertinorum Spi-  
ritus esset Spiritus sanctus, cùm & que impotenter de Spiritu  
gloriantur ac Lutherani & Calviniani. Adde Vitum Er-  
bermannum in Bellarmino vindicato, Tom. i, lib. i,  
cap. 1.

ix. Verum enim vero quam injuriosi in nos sint Depellitur  
Pontificii, quando ergo auctorū & phantasticorum affla- calumnia  
tuum nos patronos faciunt, vel ex iis, quæ supra num. de Spiritu  
iv differimus, abunde liquere potest. Nempe cum fanatico.  
Svenfeldius aliiq; fanatici occultas revelationes  
sonnient, quæ extra & citra verbum obtingant, nos  
sane specialem illam gratiam ac virtutem, quam intus  
& in animo operari dicimus, divino verbo ita anne-  
ctimus, ut non nisi cum illo & per illud extrinsecus  
acceptum se eam exserere statuamus. Quod dum fa-  
cimus, non Spiritum aliquem fanaticum jactamus,  
sed cum Scriptura profitemur, Spiritum sanctum cum  
verbo prædicato, lecto, audito, specialiter concurre-  
re, eoq; ultra communem alterius cuiusq; doctrinæ  
sortem elevato hominum animos supernaturaliter  
percellere, ut a DEO profectum esse ex efficaci illius  
motione in semetipsis experiantur. Illustria sunt in De interno  
hanc rem verba Johannis Apostoli, quando i Ep. v, Spiritus S.  
6. Spiritus est, ait, qui testificatur, Spiritum veritatem es- testimonio  
se. Ubi vox spiritus, bis posita, primo sumitur proprie, Scripturæ  
pro Spiritu sancto, tercia Trinitatis persona; deinde & Patrum  
dicta.

metonymice, pro doctrina a Spiritu sancto revelata; ut sensus sit, Spiritum sanctum peculiari ratione cum doctrina cœlesti concurrendo, & per istam corda humana movendo, testificari eam esse veritatem, id est, verissimam. Atq; hoc est quod dicit Gregorius M. homilia xxx in Evangelia: *Nisi Spiritus cordi adsit audientis, ociosus est sermo doctoris.* ----- *Nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.* Confer eundem lib. xxix Moralium cap. xiii. De eodem divino testimonio, quod habet fidelis in seipso, (ut ait Johannes memorato loco comm. 10.) etiam Augustinus loquitur Concione de gestis cum Emerito, ubi: *Nos, inquit, aurem forinsecus percutimus, DEUS novit intrinsecus loqui.* Quibus gemina sunt quæ habet idem tract. iii in 1 Johannis Epistolam: *Sonus verborum nostrorum aures percudit, magister intus est.* ----- *Admonere possumus per strepitum vocis nostre; si non sit intus qui doceat, inanis sit strepitus noster.* ----- *Magisteria forinsecus adjutoria quadam sunt & admonitiones: cathedram in cœlo habet qui corda docet.* Item in Evangelium Johannis tract. iii: *Melius illud dicit qui intus habitat, quam qui foris clamat.* Et tract. xxvi: *Quid faciunt homines forinsecus annunciantes? quid facio modo ego cum loquor? strepitum verborum ingero auribus vestris.* *Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid dico? quid loquor?* Eodem modo lib. i de peccatorum meritis cap. xxv: *Audit homo dicentem vel hominem vel angelum; sed ut sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus adsperrigitur, quod aeternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Adde Epistolam cvii ad Vitalem, & lib. xi Confess. cap. iii.

De eodem

x. Videtis, Gretsere & Erbermanne, Spiritum, quem

quem jactant Protestantes, esse ipsissimum illum, de *ipsorummet*  
 quo tam manifesta in Scriptura & antiquitate sacra ex- Pontificio-  
 tant testimonia. Sed si forte illa nondum vobis sus- rum suffra-  
 ficiunt, jungite quæ leguntur apud ipsosmet Docto- gia.  
 res Pontificios. Nicolaus Serarius ( quem jubar Ger. ad ann. 1126,  
 mania ecclesia in ipsis suis Annalibus vocat Card. Baro- n. 18.  
 nius ) Prolegomen. Biblicalorum cap. vii, quæst. v : *Deus,*  
*inquit, in omni actu, quo sacrarum literarum creditur au-*  
*ctoritas, cuilibet in corde PRIVATIM TESTIMONIUM* (notent  
 id Gretlerus & Erbermannus, qui privatum nobis Spi-  
 ritum tantopere reprobrant ) *de autoritate illa perhi-*  
*bet.* Cardinalis Hosius ( cuius elogia, quibus a Posse-  
 vino & ipsomet Bellarmino ornatur, supra capite 1, 4.  
 annotavimus ) Confessione fidei Synodi Petrico-  
 viensis nomine scripta, capite XVI. : *Nos libenter concedi-*  
*mus, accipienda esse Evangelia ut verba DEI intus docentis*  
*& revelantis, neq; credendum illis esse nisi propter DEI vocem*  
*intus loquentis.* Gregorius de Valentia, ubi XVII ad fi-  
 dem Christianam inducentia argumenta proposuisset,  
 locis num. III laudatis, subiungit xix, quod ita ha-  
 bet : *Quum hactenus ejusmodi argumenta pro autoritate*  
*Christianæ doctrina fecerimus, quæ per seipsa/satis prudenti-*  
*bus esse debeant, ut animum inducant velle credere, tamen ne-*  
*ficio, an non sit argumentum iis omnibus majus, quod, qui ve-*  
*re Christiani sunt, ita se animo affectos esse, quod ad fidem at-*  
*tinet, sentiunt, ut præcipue quidem propter nullum argumen-*  
*tum, quod vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogi-*  
*tari possit, sed propter aliud, nescio quid, quod alio quodam*  
*modo, & longe fortius quam ulla argumenta, animis nostris*  
*persuadent, ( est autem id revera divinum ipsum testimonium )*  
*ad firmiter credendum moveri se intelligent.* Idem lib. I A-  
 naly.

nalyſ. fidei cap. xxv: Cum multa ſint, ait, in ipſa Christiana doctrina, quæ ipſa per ſe fidem illi & autoritatem conciliare poſſunt, tamen mibi maximum illud eſſe videtur, (ut a Clemente Alexandrino, & a Lactantio, & ab aliis eſt obſervatum,) quod ſua neſcio qua admirabili vi divine proṛſus hominum animos afficit. ----- Eſt ſcripta verbiſ simplicibus, & caret ferè artiſcio orationiſ & ornamentiſ. Nihilominus ita vebemexter lectoriſ mentem commovet, ut nulla alia doctrina. Quod argumento eſt, illius autoritatem lib. 5. Polit. omnino divine eſſe, non humanam. Ita Valentianus il- c. i. le, quem, teſte Adamo Contzen, Papa Clemens IIx Doctorem Doctorum nuncupavit. Ad eundem modum Melchior Canus lib. II Loc. Theolog. cap. IIx: Externe omnes, ſcribit, & humanae perſuasiones non ſunt ſatis ad credendum, quantumcunq; ab hominibus competeat ea quæ ſunt fidei proponantur: ſed neceſſaria eſt in ſuper cauſa interior, hoc eſt, divine quoddam lumen incitans ad credendum, & oculi quidam interni, DEI beneficio ad videndum dati. Et deinde: Universiſ doctrinæ Christianæ principiis aſſentio per infuſam fidem; non quod Johannes dixerit, aut quivis aliud homo, ſed quod DEUS revelaverit: huic autem, DEUS reuelavit, immediate credo, a DEO motus per inſtinctum ſpecialem. Similia reperiuntur apud alios; qui inſtinctum in ſpecialem nunc vocant lumen fidei a DEO inſuſum, in ſtūctum inclinans ad aſſenſum, ut Card. Toletus in cap. v Evangelii Johannis, annot. XXXIX; nunc divine lumen, quod nos de rebus credendi dubitare non ſinit, ut Ca- techismus Romanus, ex decreto Concilii Tridentini editus, parte I, cap. II, quæſt. II; nunc interiorem inſtinctum DEI invitantis, ut Dionyſius Carthusianus lib. II Summae fidei orthodoxæ, art. XI, ex Thoma, Secunda uide, quæſt. II, art. IX; nunc intrinſecam reſlexionem actus

in

in seipsum, qua DEUS dicit se dicere, ut Fr. Svarez, tract. de Fide, disp. iii, sect. xii; nunc motionem & impulsum supernaturalem, qui excitat & adjuvat hominem, ut velit & possit credere mysteria fidei, quæ ipsi per prædicationem proponuntur, ut Martinus Becanus, parte ii Theologæ Schol. Tomo posteriori, tract. i, cap. i, quæst. iv, num. iv; nunc internam Spiritus sancti impulsionem, qua animus permovetur, ut fidem Scripturæ verbis adjungat: arcanam quandam vim, qua DEUS efficit, ut singulare ea fide, mente & cogitatione prosequamur, quæ corporis auribus usurparimus; & cœlestem afflatum, ut Jacobus Payua Andradius lib. iii Densensionis Concilii Tridentini.

xl. Satis, opinor, nunc constat, quam calumniose Gretserus asseruerit, Spiritum abs nobis jactari, qui nihil differat a spiritu Libertino aut Svensckfeldiano: supereft ut paucis dispiciamus, quam vere idem scribat, omnia, quæ toto capite ii Bellarminus contra Spiritum fanaticum differit, Lutheranum quoq; Spiritum (sic ille loquitur) confondere.

xlii. Videlicet Bellarminus id unice agit, ut ostendat, Spiritum, quem Svenscofelius & Libertini somniant, non posse esse regulam Catholicæ fidei. Ecquid vero hoc ad nos? Num dicimus nos, admittendum esse ritum fanaticum aliquem internum qui sit regula fidei? Absit. Regula fidei nobis est sola Scriptura sacra, qua comprehendendi dicimus omnia ad salutem creditu necessaria: quamvis ad id, ut fide divina ea complectamur, necessarium esse statuamus, ut Spiritus sanctus cum Scriptura isthac sive cum hoc suo verbo revelato supernaturaliter concurrat, perq; illud cor aperiat, pulset, & ad assentiendi actum commoveat. Quæ omnia cum

ex

ex supra disputatis ipsa meridiana luce clariora sint,  
nolo in re adeo manifesta latius me diffundere.

Eadem vero      XIII. Ipsi potius Pontificii viderint, annon, quæ  
infallibili-      contra Spiritum Svensfeldicum Bellarminus dispu-  
tatem R. P.      tat, illam tantopere jactatam Romani Præsulis ~~ava-~~  
~~μαρτυρίας~~ & infallibilitatem funditus eversum eant.

Privata Spiritus revelatio, ait Cardinalis, ut in se certa sit,  
nobis tamen nota nullo modo esse potest, nisi forte divinis testi-  
moniis, id est, veris miraculis, confirmetur; quorum extrema  
penuria ii præsertim laborant, qui hoc nostro seculo non mi-  
nus quam ceteri Spiritum jactant. Nam quis mihi fidem fa-  
ciet, non mentiri Anabaptistam, cum se a Spiritu afflatum di-  
cit? Ego pari ratione: Revelatio illa Spiritus sancti,  
quam jactat Pontifex, & cui infallibilitas ejus inniti-  
tur, si vel maxime in se certa sit, nobis tamen nota es-  
se nullo modo potest, nisi forte divinis testimoniis, id  
est, veris miraculis, confirmetur; quorum extrema  
penuria ipsum laborare experientia testis est. Nam  
quis mihi fidem faciet, non mentiri Papam, cum se a  
Spiritu sancto afflatum dicit? Sane cum ante aliquot  
annos Innocentius x in causa Janseniana monnulla de-  
finiret, utq; definitio ista per omnia legitima esse in-  
dubitato crederetur, se, ante factam determinatio-  
nem, coram certis Cardinalibus ad id specialiter sæ-  
pius congregatis, a pluribus in S. Theologia Magistris  
damnatas Jansenii propositiones sigillatim diligenter  
examinari fecisse, eorumq; suffragia, tum voce tum  
scripto relata, mature considerasse, & eosdem Magis-  
istros, variis coram se actis congregationibus, prolixe  
superiisdem, ac super earum qualibet, differentes  
audivisse; insuper initio hujus discussionis, ad divinum  
im-

implorandum auxilium, multorum Christi fidelium  
preces tum privatim tum publice indixisse, & solicite  
sancti Spiritus assistentiam implorassem, in Bulla sua te-  
staretur, inveniebantur nihilominus in ipsa ecclesia  
Pontifica, qui hanc Jansenii damnationem justam ac  
a Spiritu sancto profectam esse intrepide & acriter ne-  
gabant.

xiv. Porro Bellarminus: *Cum tam multi, inquit, id amplius  
hoc tempore ducem ac doctorem Spiritum sanctum habere se ostenditur.  
glorientur, & tamen inter se sic animis sententiisq; dissideant,  
ut alii aliis sint haeretici, fieri certe non potest ut omnes recte  
sentiant. Quod si aut falluntur omnes, aut, quod est omnino  
necessarium, aliqui, quis affirmare audebit, ex eorum nume-  
ro se non esse, qui a Spiritu Satanae deluduntur? Nos simili  
modo: Cum omnes Romani Pontifices ducem ac do-  
ctorem Spiritū sanctum habere se gloriantur, & tamen  
inter se sic animis sententiisq; dissideant, ut alii aliis  
sint haeretici, fieri certe non potest ut omnes recte  
sentiant. Quod si aut falluntur omnes, aut, quod est  
omnino necessarium, aliqui, quis affirmare audebit,  
ex eorum numero se non esse, qui à Spiritu Satanae de-  
luduntur? Certe Pontifices ita interdū dissidere, ut alii  
aliis sint haeretici, Nicolai III & Johannis XXII exem-  
plum evidenter docet. Nempe cum controversia fu- Contrariæ  
isset excitata: utrum possessionis omnium bonorum  
abdicatione in Evangelio esset fundata, & exemplo Chri- definitione  
sti ac Apostolorum niteretur; Nicolaus III pro Fran-  
ciscanis, affirmativam amplectentibus, definivit, edi-  
ta Constitutione *Exiit*, c. III de verb. signif. in Sexto:  
sed hanc sententiam tanquam haereticam damnavit,  
definivitq; contrarium, c. *Cum inter*, IV de verb. signif. Pontificum*

D

Extrav.

Extrav. & c. Quia quorundam, eod. Johannes xxii; quem  
hac in parte sequuti sunt Benedictus xii, Clemens vi,  
Innocentius vi, Urbanus v; quemadmodum a Nicolai  
partibus stant Martinus iv, Nicolaus iv, Clemens v,  
& plures alii. Sic Innocentius i definit, parvulos, nisi  
manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere  
non posse: uti refert Augustinus, libro i contra Julia-  
num Pelagianum, cap. ii, & libro ii contra duas Epistolas  
Pelagianorum, cap. iv. Contra Concilium Tridentinum, sess. xix, canone iv, ita definit: Si quis dixerit,  
parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, neces-  
sariam esse eucharistie communionem, anathema sit. Ana-  
thema ergo dicunt Innocentio Pius iv ( sub quo de-  
cretum hoc est sancitum ) & quotquot præterea Tri-  
dentinam synodum probant Pontifices. Plura exem-  
pla non produco: siquidem hujus loci non est, osten-  
dere, cum quot Pontificibus quot & quanti ex adverso  
concurrent; sed alio id spectat.

### CAPUT III.

Nonnulla, que circa explicationem loci Paulini, n Cor. iii, 6. Bellar-  
minus afferit, considerantur.

#### I.

*Bellarmini opinio de litera & spiritu rejiciatur.* **V**erba Apostoli, n Cor. iii, 6, Litera occidit, spiritus  
autem vivificat; in quibus causæ suæ præsidium  
quærere solent fanatici, ita exponit Bellarminus,  
ut dicat, nihil aliud esse Paulo literam & spiritum, quam  
quod Johanni cap. 1, 18. est lex & gratia. De gratia au-  
tem illa, fere circa finem capituli, afferit, quod nihil sit  
*Aliud quam caritas DEI diffusa in cordibus nostris per Spiritum*

turn

27

tum sanctum, qui datus est nobis, ex Rom. V, 5. Existimat ergo, spiritum, qui litera heic opponitur, nihil esse aliud quam habitum infusum & creatum: talem enim qualitatem homini inharentem per caritatem DEI in cordibus nostris diffusam intelligi, conceptis verbis affirmat ac operose probat Bellarmino lib. i. de gratia & lib. arbitrio cap. v & ix. Sed cum illa Pontificiorum de caritate infusa justificante hypothesis falsa sit & erronea, uti suo loco ostenditur, merito quoq; rejicitur, quam eidem Cardinalis superstruit, loci Paulini interpretatio.

ii. Excipit Gretserus, Bellarminum nequaquam <sup>Gretseri ex-</sup> dicere, quod gratia Novi Testamenti nihil aliud sit <sup>ceptio. col.</sup> quam qualitas & habitus infusus, cui nonen *Charitas*. 44.  
Loco enim ex libro i. de Gr. & lib. arb. citato ipsum nihil aliud docere, quam Charitatem esse habitum infusum; quod longe aliud est, ait, quam gratiam Novi Testamenti nihil aliud esse quam habitum infusum. Quis enim nescit, inquit, omnia dona & bona supernaturalia, in novo testamento nobis divinitus concessa, dici posse & debere gratiam novi testamenti? sive postea illa dona & bona nobis conferantur constanter per modum habitus, sive per modum opis & auxilii, sive per modum remedii ac medicinae, sive per modum favoris & extrinsecæ benevolentiae, sive alia quacunque demum ratione ad salutem mortalium accommodata. Ad hunc modum Gretserus.

iii. Sed ut appareat, quam frivola sit hæc exce- Responso.  
ptio, argumentor ita:

Charitas DEI diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, nihil aliud est quam habitus infusus;

D 2

Gratia

Gratia N. T. est charitas DEI diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum;

E. Gratia N. T. nihil aliud est quam habitus infusus.

Major est Bellarmini, libro de Gratia & libero arbitrio capite v & iix; Minor est ejusdem, hoc ipso, quem nunc excutimus, loco. Quid ergo heic tricatur Gretserus?

IV. Argumentamur nunc amplius:

Gratia N. T. ex mente Bellarmini, nihil aliud est quam habitus infusus;

Spiritus vivificans, de quo loquitur Paulus in Cor. iii, 6. juxta eundem Bellarminum, est gratia N. T.

E. Spiritus vivificans, de quo loquitur Paulus in Cor. iii, 6. ex Bellarmini hypothesi nihil aliud est quam habitus infusus.

Major præcedenti syllogismo firmata est; Minor ex toto illo capite, in cuius examine heic occupamur, sat superq; constat.

*Locus Matib.* v. Porro, ubi quæstio tractatur apud Bellarmi-  
s. 21. seqq. num: cur lex sive litera propria Testamenti Veteris  
perpenditur esse dicatur, cum nec in Novo Testamento regnet spi-  
ritus sine litera, sive gratia sine lege? inter alia men-  
tio fit loci Matth. v, 21. seqq. ac si ex eo constaret, ipsum  
Christum in N. T. multas leges præscripsisse. In quæ cum  
ita animadvertisset Franciscus Junius: *Hic locus nihil  
ad argumentum.* Non enim de lege simpliciter, sed magis de  
Pharisæica legis depravatione illic agit Christus, utilia verba  
iphus demonstrant: audistis dictum fuisse antiquis, sive ab an-  
tiquis; cum, inquam, ita heic animadvertisset Junius,  
Gretse-

Gretserus : Cur ita vero? ait. Annon probare volebat Bellarminus, ne novum quidem testamentum sola gratia duci ac regi, absq; ullis legibus; sed legibus quoq; constare? an ad hoc ostendendum non facit locus ille Matthai? Annon dat Christus preceptum de non occidenda? annon dat preceptum de fraatre contumeliosa appellatione nos afficiendo & de honestando? Nec verum, quod ait Junius; Christum hic non agere de lege simpliciter, sed magis de Pharisica depravatione: ut illa verba demonstrant: dictum est antiquis. Nihil sane Christus hoc loco de Pharisica depravatione; sed de perfectione legis nova supra perfectionem legis antiquae: hac enim longe minor a exigebat a suis; illa longe majora & exactiora; ut patet ex toto illo quinto capite S. Matthaei.

vi. Ita Gretserus. Qui an heic Bellarmini sui Gretserg ex mentem satis recte sit assecutus, lectori arbitrandum Bellarmino relinquo. Sane videtur Cardinalis, quando, objectionem proponens, loci Matth. v. mentionem injicit, ex aliorum potius quam sua ipsius id mente facere. Expendantur in primis, quæ circa finem capitilis leguntur. Quidquid autem hujus sit: alibi certe sui defensoris commenta ita dilucide refellit Bellarminus, ut non potuerit dilucide magis. Exponens videlicet sermonem Domini in monte habitum, lib. iv de Justificatione cap. iii, hunc modum scribit: Depravabant Scribæ & Pharisæi precepta gravissima de homicidio & adulterio, docentes, in ejusmodi preceptis actum externum solum esse prohibitum, non autem internum, nisi signis exterioribus proderetur. ---- Adversus ejusmodi corruptelas declarat Dominus, legem, non occides, non solum manum, sed etiam linguam & animum cohibere; & legem, non mæchaberis, extendi usq; ad concupiscentiam in ipsa mente conceptam. Deinde

inde Pharisei depravabant legem de repudio: quod enim ob infirmitatem eorum hominum lex impunitum dimiserat, ipsius ut rem absolute justam proponebant. Dominus autem docuit, non licere uxorem dimittere, nisi causa fornicationis, & legem de libello repudii penitus abrogavit. Tertio Pharisei docebant, non esse pejorandum, tamen frequentare juramenta, etiam levi de causa, nullum peccatum esse ducebant. Contra Dominus jubet, non esse jurandum omnino, nisi (videlicet) subsit iurandi necessitas. Quarto corrumpabant Pharisei legem illam talionis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Nam cum non animadverterent, eam legem constitutam fuisse ad iustitiam conservandam, non ad appetitum vindictae satrandum, docebant, licitum esse vindictam appetere. Dominus igitur monet, non esse appetendam vindictam, nec malum pro malo reddendum; sed potius paratum esse debere hominem probum, si opus sit, percutienti maxillam unam præbere etiam alteram. Quinto pervertebant Pharisei primarium dilectionis præceptum. Quoniam enim lex iussicerat, ut hostes suos occiderent, non odii causa, sed zelo iustitiae, qua justa bella inter dum etiam à piis Regibus indicuntur, illi generale præceptum tradebant, diligendos esse amicos, odio habendos inimicos. Dominus ergo gravissime admonet, diligendos esse inimicos, benefaciendum his qui nos oderunt, orandum pro per sequentibus & calumniantibus nos. Et sequenti capite iv: Illa quoq; que videntur in Evangelio esse gravissima, de dilectione inimicorum, & de concupiscentia cobibenda, inveniuntur Exod. 20. Proverb. 25. & alibi, ut sanctus Augustinus demonstrat in libro contra Admantum, ea. 3. & libro 19. contra Faustum, cap. 28. Itaq; non ait Dominus Matth. 5. Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam legis & Prophetarum, sed plusquam scribarum & Pharisaorum, ne videlicet significaret,


ret, se non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quam tollere de medio corruptelas Scribarum & Pharisæorum. Ad eum modum ipse Bellarminus satis recte hyperaspistæ suo respondet.

vii. Et quid? annon ipse Gretserus, eadem illa *Gretserus* columnæ, qua Junianam assertionem, quod videlicet *propriæ-* Christus Matth. v de Pharisaica legis depravatione, *dit vineta.* agat, falsitatis arguit, talia omnino assert, quæ assertionem isthanc ex esse confirmant? Dixerat Junius, quod memorato loco de Pharisaica legis depravatione agatur, id inter alia inde constare, quod a Christo adducantur, quæ in lege Mosis non compareant usquam; cuiusmodi illud: *odio habebis inimicum tuum.* Quid ad hæc Gretserus? *Quod, inquit, verba illa: odio habebis inimicum tuum; non inveniuntur in lege, quid mirum?* cum in lege nunquam fuerint, orta nimirum ex traditione & interpretatione Scribarum, qui ex eo, quod lex præcipiebat, diliges proximum tuum; perperam concludebant, inimicos odio habendos esse. Quorum vanam persuationem refellens Salvator, etiam inimicos diligendos esse monet. Enfatetur Gretserus, verba illa: *odio habebis inimicum tuum;* orta esse ex interpretatione Scribarum; fatetur, eos perperam sic legem fuisse interpretatos; fatetur, Salvatorem hanc falsam illorum interpretationem & vanam persuationem Matth. v refellere. Quid, quæso, hoc est aliud, quam quod scribit Junius, Pharisæos legem depravasse; & de isthac depravatione agere Christum apud Matthæum? Sane quisquis legem perperam interpretatur, eum hoc ipso legem depravare palam est.

viii. Sed audiamus porro Apologetam: Non, *Gretserus* immittero miretur quis, pergit ille, quomodo, si lex jam Chri- pervertit stitem statum

32

controversti tempore falsaria manu Phariseorum corrupta erat, idq;  
sia. Christus ipse apud Mattheum Phariseis objecit, Predicantes  
l.c. perpetuo vociferentur, Hæbræos fontes esse purissimos  
ac limpidissimos, omnisq; corruptionis penitus exper-  
tes? Deinde quærendum est ex Junio, ubi in toto illo capite  
quinto Redemptor noster Judeos accusaverit, quasi ex contextu  
legis quædam substraxerint ac amputarint? Imo vero non  
immerito miretur quis, Gretserum in re adeo liquida  
cavillos venari; dum Junio tribuit, ac si statueret,  
legem Christi tempore falsaria manu Phariseorum cor-  
ruptam fuisse, ita quidem, ut illi ex contextu legis quædam  
substraxerint ac amputarint; quæ profecto isti viro ne  
persomnium quidem in mentem venerunt. Num  
forte Gretsero ea est vocis DEPRAVANDI vis, ut non  
possit nisi de tali corruptione, quæ falsaria manu fiat &  
quorundam ex contextu legis subtractione, accipi? Quid  
ergo de Bellarmino suo dicet? qui certe, loco num.  
vi citato: DEPRAVABANT, ait, Scribe & Pharisæi præ-  
cepta gravissima de homicidio & adulterio; nec tamen hoc  
ipso Scribis ac Pharisæis imputare vult, quod falsariam  
manum istis præceptis intulerint, aut ex eorum con-  
textu quædam substraxerint: sed statim addit, deprava-  
tionem hanc ab ipsis fuisse commissam, dum docue-  
rint, in ejusmodi præceptis actum externum solum esse prohi-  
bitum: Quemadmodum proinde Bellarmino deprava-  
tio legis est prava ejusdem interpretatio, sic quoq; Junio.  
Sed hæc ita sunt manifesta, ut, si diutius immorari  
iis vellemus, merito verendum nobis, ne tedium le-  
ctori essemus creaturi. Habemus autem heic sive in-  
cogitantiæ sive Sophisticæ Gretserianæ exemplum a-  
deo evidens, ut vix possit dari evidentius.



Ad  
*Eximum & Eruditissimum*  
Dn. FRIDERICUM ELERS,  
Philosophiae Candidatum,  
*Sympatricam singulariter amandum.*

Ergone tu a turrim David, tu robora β muri  
Papalis, civis, solicitare studies?  
Et clypeos temnis, quos γ malleus hæretorum,  
Suspendit, cœli bella movesque duci?  
Bella moves BELLARMINO? Temeraria cura!  
Num fidei columen te tergisse juvar?  
Sed bene habet. Titulis, laudum & splendore, ROBERTUS  
Fulgens credatur vel DEUS ipse suis;  
Pro nobis veri stat vis invicta, DEUSq;  
Verus; pro nobis pagina sacra facit.  
His tecti clypeis robur Papale minasque  
Spernitius audaces, quas sacra Roma vomit.  
Macte piis ausis, E LERE! En, inclyta Vamus  
Jam tibi ferta parat; Cimbria dona dabit.

- a. Cæsar Card. Baronius Tom 1. Annal. ad ann. LIII. 32. Robertus Bellarminus  
hoc ipso anno, quo haec nostra crudimus, suas de controversiis Christianæ fidei  
disputationes adversus hæreticos, ab eruditis omnibus avide expectatas, & jam  
aceperas, & mirifice prædicatas, edidit: nobilissimum plane opus, quod in  $\frac{1}{2}$  ar  
turris illius, quam David ædificavit cum propugnaculis, ex qua mille pen-  
denter clypei, & omnis armatura fortium, (Cant. 4.) in Ecclesia habeatur.
- b. Cornelius à Lapide in encomio Scripturæ Commentariis in Pentateuchum  
præfixo, num. XXXIX: Ex Scriptura omnes hæreses revicis & jugularis  
solide & exacte illustrissimus Bellarminus, fidei hyperaspistes, & hæresim  
strator, in suis Controversiis. Quod opus proinde impenetrabile est & incom-  
parabile; nec à Christi temporibus hucwq; simile in hoc genere videt Eccle-  
sia: ut merito veritatis Catholica murus & antemurale vocari possit. Idem  
in procœmio super Epist. Pauli: Opus Bellarmini vere est panoplia rectæ fidei,  
& opus æterna memoria dignum.

γ. Bellar-

y. Bellarminus Pontificis audie, malleus hæreticorum, vitæ cœlestis Domini  
Christiane fidei columen, Ecclesiæ propugnaculum, validus Ecclesiæ Dei co-  
lossus, sacre militiae Princeps, lucerna lucens in caliginoso loco, tenebrasque  
omnes discutiens, Athanasius etatus nostræ, alter Irenæus, Basilius, Augustinus,  
vertex Theologorum, Spiritus S. amanuensis, &c. Vide testimonia collecta  
abs Philippo Alegambe in Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu, tit. Rob.  
Bellarm. & adde Jacobum Fuligattum in vita Bellarmini lib. II. cap. VI.

CHRISTIANUS Kortholt / D.

Noster amor! pandes primordia docta Laborum.  
Varniacis Musis, Numinis auspicio.  
Est Verbum Domini Fidei, Vitæq; probata.  
Norma tibi. Recto tramite carpis iter.  
Sis porro affixus libris noctesq; diesque;  
Et Lauro cingent tempora Pierides.

Faustæ acclamationis E.

I. mg. s.

M. HERMANUS Becker.  
P. P.

Gloria es dir mein Freund so für/  
des jügern schuld/sey bloß bey mir/  
Ach nein/ich wolle gern zum Dichten/  
Da nur die Pallas meine hand/  
Ob schon nicht nach des Momus  
richten/  
Rechte führen wolle mit Verstand.  
O ich wolle meine Sinne treiben/  
Täglich wolt ich rühmlich schrei-  
ben/  
Hie wird der tugend Kron dir bleiben.

Es preisen Hochgelarte leue  
An dir der Tugend erstling heue  
Man sieht daß du nach ehren ringest/  
All dein beginnen glücket recht:  
Ruhm/ seh ich/ daß du schon mitz  
bringest.  
Thur dies/ und bleib der tugend Knecht.  
Ich weiß der neid kan wol betrübe/  
Nicht aber Tugend von sich sch  
ben/  
So wird er selbst dich müssen lieben

B. K.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740039849/phys\\_0039](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740039849/phys_0039)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/pnn740039849/phys\\_0040](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn740039849/phys_0040)




tum sanctum, qui datus est nobis, ex Rom. V, ergo, spiritum, qui literæ heic opponitur, aliud quam habitum infusum & creatum. ta qualitatem homini inhærentem per caritat cordibus nostris diffusam intelligi, conceptis v mat ac operose probat Bellarmino lib. I. de g arbitrio cap. v & iiij. Sed cum illa Pontific caritate infusa justificante hypothesis falsa nea, uti suo loco ostenditur, merito quoq quam eidem Cardinalis superstruit, loci Pai pretatio.

ii. Excipit Gretserus, Bellarminum ne dicere, quod gratia Novi Testamenti nihil quam qualitas & habitus infusus, cui non Loco enim ex libro i de Gr. & lib. arb. citato hil aliud docere, quam Charitatem esse hab sum; quod longè aliud est, ait, quam gratiam Novi testimenti nihil aliud esse quam habitum infusum. nescit, inquit, omnia dona & bona supernatura testamento nobis divinitus concessa, dici posse & de am novi testamenti? sive postea illa dona & bon ferantur constanter per modum habitus, sive per & auxilii, sive per modum remedii ac medicinae, dum favoris & extrinsecæ benevolentia, sive alia demum ratione ad salutem mortalium accommo hunc modum Gretserus.

iii. Sed ut appareat, quam frivola sit pto, argumentorita:

Charitas DEI diffusa in cordibus nostris tum sanctum, nihil aliud est quam infusus;

D 2



Gretseri ex-  
ceptio. col.  
44.

Responso.